



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1589. usque ad annum 1595 - Una Cum Criticis R.P.
Honorati A S. Maria Carmel. Discalc. Observationibus In Historiam
Ecclesiasticam Abbatis Fleurii

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118669

§. 58. Castaneus Cardinalis in Papam electus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67252](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67252)

Sæcul. XVI.
A.C. 1590.

§. LVIII.

*Castaneus Cardinalis in Papam
electus.*

*Thuan. l. c.
Spond. n. 20.*

Die decima quarta ejusdem Mensis Septembris feria sexta Cardinales suffragia colligentes deprehendebant quod Castaneus vulgo dictus Cardinalis sancti Marcelli solus viginti suffragia tulisset: quapropter hunc absdubio in Papam eligendum præfagiebant, cumque eidem pariter Sfortia, necnon Cardinales patria Genuenses potenter adhærerent, usque ad vesperam de futura ejus electione communis vox personabat: tum vero nonnulli vacillare videbantur, cum Montaltus hujus Cardinalis electioni obluertari audiebatur, faniores tamen illius repugnantiam velut temerariam carpebant, ejusque amici eum monebant, ne forte progressu temporis sibi exinde negotium facesseret: Sabbato autem die decima quinta ejusdem Mensis Cardinales, postquam summo mane res divina fuerat peracta, in Sacello Paulino congregati Cardinalem sancti Marcelli primo diluculo in summum Pontificem nominabant, ejus tamen electionem adhuc secretam teneri debere arbitrabantur, ut comitiorum Ministri pro Cardinalium suppellectili componenda, necnon pro infirmis ad sua pala-

palatia commodius deferendis necessa-
 ria parandi spatium nanciscerentur: Sæcul. XVI.
A.C. 1590.
 verum ipsimet hi Ministri, cum Papam
 prima illius diei aurora eligendum in-
 telligerent, quantocius magis pretiosa
 suorum Cardinalium vasa in falces col-
 ligare, ac cellularum sepimenta deji-
 cere cæperunt, ut militibus deprædandi
 occasionem præriperent: postea com-
 bustis suffragiorum schedis Cardinales
 e Sacello egredientes Papam nondum
 plene electum, brevi tamen comitia
 esse absolvenda nuntiabant: demum
 vero sese recipiebant, ubi sumpto jen-
 taculo parum quieti indulgentes postea
 una omnes superpelliceum, ac humerale
 induti ad Aulam, indeque ad Pau-
 linum Sacellum contenderunt, ut ibi-
 dem Castaneum Cardinalem Pontificio
 habitu ornarent.

§. LIX.

*Neo-electus Papa Urbanus VII.
 dictus.*

Neo-electus Pontifex, qui Urbanus Ciac. tom. 4.
pag. 202.
 VII. appellari voluit, postea ad
 Basilicam Divi Petri deferabatur, ubi
 ex singulari modestia, quæ ex ejus fa-
 cie promicabat, haud temere omnes
 judicabant, quod conditionis mutatio
 nequaquam animi ejus sensa immutatu-
 ra sit, quapropter populus turmatim con-
 fluebat,